SERIES DVCVM & REGVM BOHÆMIÆ.

DVCES.

I *Zechus* Slavus invasit terram anno 649.

II *Crocus*, hic obiisse dicitur anno 709.

III *Libyssa* filia Croci, primum sola, postea cum *Primislao* marito, qui Pragam condidisse, & leges genti scripsisse fertur. Sub his Valasca comparata ancillarum manu rebellis, excursionibus ex arce Dibin factis, Bohæmiam depopulata est totum septennium, sed victa tandem est.

IV *Nimislaus*, dictus Epimetheus, magni patris degener filius, anno Christi 754.

V *Mnatha* patri similis, vixit anno 783. Sub isto cœperunt Moravi & Germani Bohæmiam invadere.

VI *Voricius* Mnathæ filius Mysos domuit, Moravos vicit.

VII *Wenceslaus*.

VIII *Bela*, anno 832. Hic cum Vratislaum ducem Soyzensem, qui bellum ipsi inferebat, precibus, muneribusque, mollire non posset, prælio vicit.

IX *Nostricius* patri successit anno Christi 873.

Stemma Ducum Bohæmiæ Christianorum, à Borsivogio usque ad Vladislaum primum regem.

X B*Orzivogius* anno 890. Vxor ei Ludomilla. Quum autem Zwemtopolcus Moraviæ Rex, cui bellum erat adversus Arnulphum Imperatorem, vicinos proceres ad epulum & societatem belli invitasset, solus Borzivogius, non mensæ admotus, sed humi sedere jussus, quod Paganus adhuc esset, motus ignominia & Cyrilli Episcopi pollicitationibus, qui ipsum Moraviæ regem futurum dicebat, si Christo nomen daret, protinus baptizatus est.

XI *Sbitignævus* Patri successit anno 905. Hic templa exstruxit, & Scholas, in quibus juventus Latine docebatur.

XII *Vladislaus* fratri successit, anno 907, quo defuncto uxor Drahomira Pagana Christianos afflixit, & socrum suam Ludomillam piam feminam, submissis sicariis, occidit.

XIII *Wenceslaus*, qui sanctus dicitur, matris odiis exagitatus Ratisbonæ Comitiis interfuit sub Henrico Imperatore, anno 923. Frater Boleslaus eum in templo trucidavit.

XIV *Boleslaus* I, fratricida, anno 929 à Moravis, Hungaris, Ottone I Imperatore, bellis petitus est.

XV *Boleslaus* II patri longe dissimilis, Mitis à moribus dictus fuit. hic Christianam religionem in Bohæmia valde promovit, evocato Ditmaro Saxone Episcopo. Congressus cum Paganis non aspernatus est auxilia Iudæorum, quibus post victoriam ob egregie navatam operam Synagogam Pragæ concessit, eo quo adhuc conspicitur loco.

XVI *Boleslaus* III anno 999, bellum gessit cum Boleslao Polono: quo Cracoviam, quæ antea Bohæmorum juris fuerat, amisit. Eum hostis oculis privavit.

XVII *Iaromirus* Boleslai III filius, anno Christi 1003.

XVIII *Vdalricus* educatus in aula Henrici II Imperatoris Iaromiro successit anno 1004. Hic villici cujusdam filiam uxorem duxit, quæ Beatrix dicta est.

XIX *Predislaus* Vdalrici filius, anno 1026 post patrem Bohæmiæ præfuit.

XX *Sbitignævus* II Predislai filius, homo inquies, Germanos Bohæmia expulit, ne matre quidem excepta.

XXI *Vladislaus* anno 1061 fratri successit. Hic Moguntiaci ab Henrico IV cunctis Principibus suffragantibus primus Bohæmiæ rex creatus est, corona manibus Imperatoris ipsius capiti imposita.

XXII *Conradus* Dux, Vladislai frater.

XXIII *Predislaus* II Dux.

XXIV *Borzivogius* Dux.

XXV *Suentopolcus* Dux.

XXVI *Vladislaus* Dux.

XXVII *Sobieslaus* Dux.

XXVIII *Vladislaus* II. hic pontem Pragensem exstruxit. Rex quoque factus est.

XXIX *Sobieslaus* Dux.

XXX *Fredericus* Dux.

REGES.

I V*Ladislaus* ab Henrico IV ex Duce rex primus (ut jam dictum) Bohæmiæ appellatus.

II *Vladislaus* dux Decimus octavus, postea rex Bohæmiæ factus est à Frederico I, anno 1159.

III *Primislaus* I à Philippo Romanorum Imperatore rex factus est, qui potestatem quoque Bohæmis dedit proprios reges deligendi.

IV *Wenceslaus*, dictus quoque Ottocarus, obiit anno 1242.

V *Primislaus* II vir potens, excelsi animi, bellicosus, dux Austriæ, Styriæ, &c.

Germania.